Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37192
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



adhibenda. et propterea dicit. Omni sagacitate et indus
tria. ut sagacitas advigilantiam et sollicitudinem et perfici
am intelligentiam et curiositatem debitam referat. Indu
stria vero sollertia ingenium et providentia intelligi debet
Nota etiam ubi dicit. Currere. alia littera habet curare. sed verior
littera est currere. ut segnitiem et negligentia excludit
et omnimodam tarditatem. Non nunquam enim medicinas
medicus imperitus preparat eger perit. Currere autem
habet Abbas cum omni sagacitate et industria maxime
ubi cognoscit materiam furiosam. quia materia furi
osa tunc est eodem die. vel ipsa hora medenda. In diebus
enim canicularibus venam incidere. medicine traditio non
permittit. Si aliquis squinantiam incurrit aut periculo
sissimum apostema. celeriter est sibi per subtractionem
sanguinis occurrendum. Et ideo hic est similiter omni
sagacitate et industria currendum ne anima
pereat. Et propterea sequitur.

Noverit se infirmarum cura suscepisse animarum. non super sanas tyrannidem.

Noverit se etc. Infirmis ut dictum est cura debetur
Sed vide quod si infirmis adhibenda est cura. tyrannidis
in sanis est timenda. Hoc nomen tyrannidis gre
cum est. et est usurpatio rei aliene iniusta. honor in
debitus. potestas odiosa. vel actio odiosa superba. ordi
natio iniqua. oppressio innocentum pauperum et viduarum
et persecutio ecclesiarum et religiosorum. Hanc tyrannidem. id est in
quam oppressionem. non debet Abbas in suos subditos exercere